



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

X. Dubia quædam circa doctrinam superioris capitis expediuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

sententiam docuit. Vnde D. Thom. d. quodlib. a. 8. aliter respondet, videlicet, quod Gregorius cum dicit, *soli electi nascuntur*, non intelligit absolute, sed quantum est ex ratione originis. Obstant vero sequentia verba Gregorii, *Soli ab illo electi nascuntur, eosdem electos aspicit* (vtrique vir sanctus) atque cum eis quomodo quiescere potuisset, intendat. Quibus posterioribus verbis aperte declarat, in prioribus se loqui de electis, non solum quantum est ex vi originis, quomodo omnes baptizati dici possunt electi quantum est ex vi Baptismi, & omnes fideles solent vocari electi, vtrique ad fidem: sed loqui de electis simpliciter, ut cum effectu saluatur, seu gloriam consequantur. Nam ad hos electos aspicere debemus, ut cum illis quiescere optemus.

Et ideo dixerunt alij significasse Gregorium illis verbis: si neque Adam, neque posteritas eius peccasset, futurum esse, ut tales electi tantummodo nascerentur, quales nunc per Christum saluantur. Ita Valent. & tribuit D. Thom. in d. quodlib. At D. Thomas nihil aliud, preter id, quod retuli, dicit. Neque Gregor. ponit illam conditionalem, si neque Adam, nec posteritas eius peccaret: sed tantum dicit: Si parentem primum nulla peccati praeuro corrumperet soli electi ab eo nascerentur. Quare probabile censet, quod Molina etiam dixit, Gregorium in ea fuisse sententia, ut crederet, Adam non peccante omnes eius filios saluos futuros fuisse. Quod potuit quidem facere Deus. Vnde autem sciri possit, ita fuisse futurum, ignoramus. Eademque ratio, vel maior est, ut dixi, de immunitate ab omni peccato: ideoque solum dicimus, ex vi illius status potuisse filios Adae peccare, quamvis posset Deus, quos vellet, ab omni peccato praeferuari.

CAPVT X.

Dubia nonnulla circa doctrinam superioris capitis expediuntur.

PRaeipua difficultas circa superiorem resolutionem est, quia posito lapsu aliquorum hominum, videtur difficile ad explicandum, quomodo illis fuisset providendum, tam in ordine ad Deum, quam in ordine ad ceteros homines innocentes. Nam in primis sequitur, eos, qui peccarunt, amissuros fuisse originalem iustitiam simul cum gratia: ergo fierent mortales: ergo eiicendi essent extra Paradisum. Hinc autem aliae perplexitates oriuntur. Quid enim, si maritus peccaret, & non vxor: vel mater habens filium innocentem, & infantem, nunquid filius eiicendus esset cum matre, vel ab illa esset separandus? Vtrumque enim incommodum est. Deinde sequeretur, statum peccati, aut gratiae notum fuisse futurum & ipsis peccantibus, & alijs, quia status originalis iustitiae per effectus, & signa facile innotescere posset. Consequens autem inconueniens videtur, quia posset peccata esse merè interna, quae non expedit omnibus esse nota: & similiter non expediebat, ut semel peccans, postea de sua penitentia, & peccatorum remissione statim certus fieret.

In hoc dubio, si vera esset sententia dicentium illo in statu amitti potuisse gratiam, non amissa originali iustitia, consequenter dici posset, perseverante Adam in Dei obedientia, filios eius, qui peccarent, amissuros fuisse gratiam: non vero originalem iustitiam. Quod tribui potest Catherino: nam in opuscul. de peccat. Orig. disput. 4. in fin. dicit, quod licet Eva peccasset, & gratiam amisisset, non priuaretur originali iustitia, si Adamus non peccasset. Ergo à fortiori idem dicitur fuisse de filijs Adae, si patre non peccante, ipsi peccarent: imo fortasse idem diceret de Adamo, si seruaret praeceptum non comedendi de ligno scientiae, & contra alia peccaret. Potestque hoc suaderi, quia donum iustitiae erat in eo statu naturale, sed de iustitia naturalia non amitterentur per peccatum: ergo nec donum iustitiae per quodlibet peccatum amitteretur: sed solum propter peccatum totius naturae iuxta combinationem Dei. Vnde supponendo hanc sententiam dicendum esset, homines non fuisse mortuos, etiam si peccarent, & consequenter nec fuisse extra Paradisum emittendos. Et ita cessarent aliae dubitationes, quae ex contraria positione inferebantur.

Sed illa sententia supponit falsum fundamentum. In superioribus enim demonstratum est, iustitiam originalem nunquam permanere sine gratia, & oppositum diuinae institutioni repugnare. Deinde illo fundamento permisso, alia maiora incommoda oriuntur. Nam incredibile est, homines rebelles Deo per peccatum, habituros fuisse corpora impalsibilia, & immortalia, & appetitum inferiorem plene subiectum superiori: & similia privilegia, quae originalis iustitia secum asserbat. Deinde, vel homines semel peccantes in illo statu agere possent penitentiam, vel non? Si non posset, consequenter non posset in gratiam redire: quod miserum esset. Si autem eam agere posset: quomodo permanente iustitia originali posset pro peccatis satisfacere: cum donum illud ab omni pena, & dolore hominem praeferuaret. Item si homo poterat in illo statu peccare, posset etiam saepius id facere, & consuetudine peccandi prauos habitus acquirere: talis autem dispositio repugnat cum rectitudine iustitiae originalis. Denique licet iustitia originis ex ea parte, qua perficiebat, & quasi integrabat naturam intra suum ordinem, dicatur quodammodo naturale donum: nihilominus simpliciter non erat naturae debita, nec dabatur, nisi gratis, & in ordine ad perfectionem gratiae: ergo non erat magis inamissibilis per peccatum, quam ipsa gratia.

Dicendum ergo est, si Adamus non peccasset, posteros eius non magis fuisse nascituros confirmatos in iustitia originali, quam in gratia: ac proinde, si peccarent, ut reuera potuissent, vtramque amissuros fuisse. Quomodo autem Deus tunc prouideret hominibus peccantibus, tam quoad salutem animae, & felicitatis consecutionem, quam quoad reliquum tempus status viae, incertum nobis est. Priorem partem probant ea, quae hactenus adduximus. Quia vero aliud est loqui de potestate aliud de facto, solum possumus certo affirmare, ex parte status, & donorum gratiae, & iustitiae, quae in illo data sunt pro tota posteritate, potuisse homines gratiam, & consequenter etiam iustitiam peccando amittere: & non fuisse vnā sine alia amissuros propter connexionem earum inter se. Quod vero de facto Deus permitteret aliquos peccare, sicut non possumus absolute negare, ita neque cum certitudine affirmare possumus. Quia posset facile Deus nullum aliud peccatum in toto genere humano permittere, si primus homo primam peccati occasionem vicisset, & dare omnibus hominibus auxilium efficax ad vitanda omnia, & singula peccata etiam tale auxilium non esset debitum, nec promissum pro tali statu, sed solum ex libera prouidentia datum, sicut supra diximus, & innuauit D. Thomas 1. p. q. 100. artic. 2. ad 1. in responsione prima ad testimonium Gregorii. Neque est reuelatum, vel aliter certum non fuisse id factum Deum: si autem id fecisset, cessassent difficultates, & perplexitates, quae in illo statu oriri viderentur, si aliqui homines in eo peccarent. Et haec videtur esse potissima coniectura ut credibile fiat Deum ita fuisse prouidentem in illo statu hominibus, ut in eo nemo peccaret, licet posset.

Nihilominus tamen hac sola coniectura insufficiens est, ut definire asserere possimus, Deum

3
Dicitur refectio
lucio reici-
tur multi-
pliciter.

4
Prior respo-
nsio bipar-
tita.

Prior parti-
cularis.

Perplexitates
allatae.
1. coniectu-
ram viden-
tur facere
quod tunc
non peccaren-
tur.

5
Est sententia

Aa 3

fuisse

Suauiter de opere sex dierum.

inefficax
coniectura,
& plures
sunt in con-
trarium.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

6
Satis si-
difficultati in
dum i. ex-
plicaturque
per varias
quaestiones
causas.

7
Propositio-
ri parte re-
solutionis in
num. 4. pos-
ta, quaestio
uncula pri-
ma.

fuisse praedestinatum omnes homines vel ad gloriam, vel etiam ad perpetuam innocentiam pro statu viae, si praevidisset, Adam non fuisse peccatum. Imo oppositum fit credibilis maioribus coniecturis. Primo, quia in omni statu fuit conueniens, gratiam Dei, eiusque liberalem donationem in hominibus manifestari: sed hoc maxime fit per gratuitam electionem quorundam praeter alios, & per efficaciam vocationis in illis, & non in istis: ergo hoc genus providentiae seruaret Deus cum hominibus, etiam si Adam non peccasset. Secundo, quia hoc modo etiam ostenditur maxima libertas humani arbitrii, eiusque ab auxilijs gratiae dependentia. Tertio, quia per eundem providentiae modum non solum gratia, sed etiam iustitia Dei, non distribuitur tantum, verum etiam vindictiua declaratur. Quarto, quia propter has rationes non praedestinavit Deus omnes Angelos, nec etiam duobus primis hominibus donum perseverantiae in prima innocentia dedit: ergo, quantum coniecturis assequi possumus, idem cum hominibus faceret, etiam si primus homo Dei mandatum non violasset.

Denique non obstat ratio, quae ex difficultatibus propositis desumitur: quia quod apud homines difficile apparet, posset Deus facile componere, & conuenientem providentiae modum pro illis occasionibus ordinare. Quod declaratur à simili: nam si Eva peccante, Adam illi non cōsensisset, nec peccaret, etiam est nobis explicatu difficile quid agendum esset, id est, an Eva ei cōsentienda esset de Paradiso, & tunc, an creanda esset alia mulier, ex qua homines innocentes in Paradiso nascerentur. Vel si Eva, non obstante peccato, intra Paradisum propter coniugium cum Adamo relinqueretur, an ibi posset poenitentiam agere, & poenam aliquam saltem voluntarie assumere. Et ad hunc modum ex simili hypothese possunt varia dubia excitari, propter quae vitanda, recurrendum non est ad negationem hypothese: quae non potuerit Deus, non peccante Adamo in alijs hominibus peccata permittere: & nihilominus modum conuenientem providere, quo possent homines in tali statu, & euentu gubernari. Quod per breues interrogationes facile explicatur.

Prima est, an peccans in illo statu posset ad gratiam redire, & veniam peccati consequi, vel statim reprobus fieret? Ad quam dicendum omnino videtur, potuisse tunc etiam peccatores in gratiam redire. Probatur, quia non statim transferrentur vni ex hac vita in infernum, & quandiu in hac vita existerent, haberent liberum arbitrium de se flexibile ad bonum: ergo possent in gratiam Dei redire. Maior probatur, quia status viae haberet tunc ex Dei ordinatione certam durationem, quae non finiretur propter superueniens peccatum. Item, qui semel, aut iterum bene operaretur, non statim transferretur ad gloriam communi lege: ergo seruata proportione, qui semel peccaret, non statim damnaretur, vel extra statum viae constitueretur. Minor etiam nota est, & à fortiori ostendi potest ex supra dictis, de natura angelica. Nam inter illam, & humanam discrimen communiter constituitur, quod angelica natura est quodammodo inflexibilis in electione semel facta: humana vero facile post electionem mutare: quae differentia cum in naturali proprietate fundetur, etiam in natura humana in statu innocentiae spectata locum habet. Et nihilominus diximus, inflexibilitatem illam naturae angelicae, non rigorose, sed morali quodam modo esse accipiendam: ergo homo in statu naturae integre non solum physice, sed etiam moraliter conuertibilis esset ad bonum, & subinde ex parte sua capax esset poenitentiae, & remissionis peccati. Praeterea,

quia per peccatum ab illa integritate, & perfectione naturae caderet, atque ita suum errorem, & fragilitatem facile posset agnoscere. Vnde probatur tandem prima consequentia. Tum quia Deus in illo statu, & ex communi eius lege homini semel bene operanti non statim daret perseverantiae donum: ergo nec male operantem statim deferret, & quasi desperatum relinqueret. Tum etiam, quia magis repugnat statui viatoris non posse resurgere, quam non posse cadere. Tum denique, quia hoc est magis consentaneum diuiniae misericordiae, bonitati, ac sapientiae.

Hinc nascitur secunda interrogatio, quae plures includit, scilicet, quanam remedia instituerentur tunc à Deo in remedium peccati? In qua re vnum videtur certum, scilicet, necessariam fuisse dilectionem Dei ex vera charitate cum detestatione peccati, seu contritione. Nam haec dispositio quali connaturalis est ad infusionem gratiae cum remissione peccati. An vero praeter hoc medium internum prouideret Deus aliud externum in illo statu per modum sacramenti, incertum est, ut dixi in 3. tom. 3. part. disputat. 3. sect. 3. in fine. ubi partem negantem probabiliorē duxi. Interrogari etiam potest, an tunc remitterentur peccata per Christum Redemptorem? De qua re videri possunt dicta in primo tomo tertia parte disputat. 5. sect. vltim. Tandem interrogatur, an homines tunc peccantes indigerent externis operibus poenitentiae, & satisfactionis pro peccatis? Ad quam interrogationem post resolutionem puncti sequentis commodius respondebimus in numero 12.

Tertio ergo interrogari potest: an in eo euentu, recuperata per poenitentiam gratia, etiam originalis iustitia restitueretur? Pars etenim negans suaaderi potest: quia licet iustitia non fuerit vniquam sine gratia, quia in ea fundatur: tamen gratia sine originali iustitia esse potest, quia est perfectio extra rationem gratiae, & illi superaddita. Et ita videmus restitutam esse Adamo gratiam sine iustitia, sicut & nunc in iustificatione datur. Ergo idem esset in hominibus peccantibus in statu innocentiae. Probatur consequentia, tum quia eadem ratio militat: tum etiam, quia contritio per se solum disponit ad gratiam, & habitus, qui illam consequuntur, non vero ad originalem iustitiam: ergo non est cur poenitentibus restitueretur. Vnde confirmatur primo, quia illa iustitia datur gratis, tanquam peculiare donum innocentium, ideo enim dicebatur innocentiae statum constituere: innocentia autem restitui non poterat: ergo non erat, cur originalis iustitia restitueretur. Tandem confirmatur, quia alias homo poenitens statim de sua iustificatione certus fieret, quod videtur inconueniens. Et sequela probatur, quia donum iustitiae originalis tale erat, ut posset experimento cognosci per carentiam fomitis, & alios eius effectus in superioribus numeratos. Sicut Adam, & Eva experti sunt de ordinationem suam, quando aperti sunt oculi eorum, & erubescere coeperunt. Ex quo effectu euidenter cognoscere potuerunt peccatum suum, quod quidem in culpa non est inconueniens, quia nos etiam operemur scimus, quando peccamus: sed verum est de gratiae certitudine.

Pro parte vero affirmante facit primo, quia ordo, & rectitudo originalis iustitiae esset in illo statu annexa gratiae per modum proprietatis eius: ergo restitueretur simul cum gratia. Quia per similitudinem in toto statu innocentiae, sicut per peccatum Ada facta est: sed solum particularis persona peccans ab illo statu caderet: ergo non est verisimile nocuum illud, durante viae tempore, in

SVARE 2
de Angelis, c.
rr 6. d. r. m. c.
anima.

TON TON
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX

D. V. 2

illo statu irreparabile fuisse. Et declaratur. Nisi Eua peccante, Adam non peccasset, verisimilius est, potuisse Eua per conuersionem ad Deum, ad primum statum iustitiæ, & felicitatis Paradisi redire quia vix posset aliter coniugium illud, & socialis vita inter Adamum, & Eua cum tanta morum & affectuum dissimilitudine recte subsistere. Ergo idem in cæteris seruaretur. Denique vtrumque possibile fuit, vt est per se notum: & licet sit incertum, quia ex voluntate Dei pendet, illud tamen de Deo credendum est, quod liberalitati eius, & hominum innocentium conditioni, & iusto desiderio magis esset consentaneum.

Et ita potest facile vtraque pars defendi. Aduertitur autem potest, sicut nunc contingit consequi remissionem culpæ, manente aliquo reatu poenæ temporalis, ita etiam in illo statu, sed tempore accidere potuisse: quia non omnes homines æque feruenter de peccato dolerent, cum hoc ex libertate penderet. Si ergo homo integrè iustificaretur à peccato, quoad culpam, totumque poenæ reatum, credibile est etiam originale iustitiam fuisse recuperaturum. Nec referret, quod illi non restitueretur innocentia, quatenus negat omnem culpam, etiam præteritam. Quia illa iustitia de se non postulabat talem innocentiam licet de facto solum innocentibus data, & in eis solis inuenta fuerit. Neque etiam esset tunc inconueniens, quod peccatores de sua perfecta iustificatione possent aliquando esse certi ex effectu recuperatæ iustitiæ, quia hæc certitudo esset illi statui consentanea: vt patet in innocentibus qui nunquam peccauerunt, quia certo scire possent, se nunquam amisisse iustitiam, & consequenter neque gratiam. Ergo idem posset conferri peccantibus post perfectam remissionem consecutam.

At verò, si remissio culpæ in aliquo fieret sine perfecta remissione reatus poenæ, pro illo tempore verisimilius est, non fuisse originale iustitiam simul cum gratia restituenda. Quia talis homo adhuc esset poenæ dignus: ergo à fortiori esset poenæ capax secundum præsentem statum. Ergo pro tunc erat incapax doni originalis iustitiæ, quod omnem poenalitatem excluderet. Et iuxta hoc facile expeditur vltima interrogatio in præcedenti pucto in fine numeri 8 relicta. Dicendum est enim, potuisse hominem in illo statu peccatorem indigere extremis poenæ satisfactorijs, quandiu pro reatu temporalis poenæ non plene satisfaceret: vel per feruentem contritionem plenam illius remissionem consequeretur. Quia cum careret dono iustitiæ, esset in statu poenali, & consequenter esset capax huiusmodi satisfactionis, quæ semper est debita, quandiu peccatum quoad oem reatum, non est plene remissum.

Quarta interrogatio est, an homines tunc peccantes statim de Paradiso eieci fuissent: vtrumque enim potuit Deus ordinare: & incertum est, quid faceret. Nunc enim nullum decretum habuit diuina voluntas, quod nobis innotescat, ex quo alterutram partem definire possimus. Quid autem Deus tunc decreuisset, vix potest per coniecturas diuinari. Nam si peccantes statim à Paradiso eijcerentur: frequenter coniux à coniuge, pater à filiis, & filia à matre separari debuisset: quod sine aliqua perturbatione, & incommodo innocentium vix fieri posset. Item talis lex veluti instantis exilij non videtur illi statui necessaria. Nam si intra Paradisum peccata committi poterant, cur non posset etiam contritio de peccatis ibidem exerceri, & aliquæ etiam poenalties sustineri: Itæ possent peccatores ibi manentes ab esu ligni vitæ arceri, & vnam rempublicam cum innocentibus constituere: in qua legibus suo statu proportionatis gubernarentur. Ad hunc ergo modum facile potest hæc pars defendi. Quod si contraria lectori

placuerit, non deerunt congruentiæ. Quia homo peccando fieret mortalis, cum iustitiam originalem amitteret: Paradisus autem erat locus cuiusdam immortalitatis (vt sic dicam) ac felicitatis. Homo etiam peccando fieret illo loco indignus, & quasi ad illum ineptus. Quia proprietates loci debent esse accommodatæ conditioni locati. At homo peccator poenalties, & ærumnis eo ipso subiicitur: locus autem ille ab his omnibus imperfectionibus, & incommoditatibus erat immunis. Igitur, qui peccarent fortasse diuina vi, vel ministerio Angelorum, statim extra Paradisum fierent: facta autem perfecta poenitentia, & iustitia recuperata, ad illum restituerentur. Et ita posset facile incommoda insinuata vitari: præterquam quod facile esset diuina providentiæ innumbris modis alijs omnia illa componere: & conuenienter ordinare.

CAPVT XI.

Virum in statu innocentia, si perseueraret, excellentior esset hominum sanctificatio, quam sit, in statu lapsa natura.

Suppono in primis, triplicem hic fieri posse comparationem: vna est inter primas sanctificationes vtriusque status: alia inter auxilia, & gratias, vel charitatis abundantiam, quæ ad merendum essentiale præmium in vtroque statu hominibus daretur: tertia esse potest inter vltimam sanctificationem, quæ in termino viæ per gratiam & gloriam consummabitur. Secundo suppono, totam questionem hanc multum pendere ex illa controuersia, an perseuerante innocentia statu, Verbum incarnatum fieret, & consequenter, an gratia status innocentia esset ex meritis Christi, necne. Nam si non esset ex Christo, verisimile est, non fuisse futuram tam abundantem, sicut nunc est propter Christi dignitatem, & infinita merita: si autem in vtroque statu omnis hominum gratia esset ex Christo, res magis est dubia. Et hanc partem nos, vt probabilior supponimus, iuxta ea, quæ in 1. tom. de Incarnat. tradidimus.

In prima verò comparatione omittimus primam sanctificationem primorum paratum, nam illa singularem excellentiam habuit, propter peculiarem dignitatem, & munus illorum, in quo ab ipso Deo, tanquam totius naturæ, & gratiæ principio, creati, & sanctificati sunt. Et ideo de illorum excellentia in superioribus dictum est. Nunc ergo solam primam sanctificationem filiorum Adæ in vtroque statu comparamus. Potest autem vltius distinguere duplex sanctificatio prima. Vna est infinitum, quæ sine illorum dispositione fit: alia adulatorum, quæ fit per eorum dispositiones. Vtraque ex his frequens est, & ordinaria in statu naturæ lapsæ: in statu autem innocentia sola prior perfecte loquendo locum haberet. Quia omnes sanctificarentur in ipsa conceptione: & ita nullus adultus gratiam primam acciperet: nisi forte post lapsum, quæ do iam propriè ad statum innocentia non pertineret.

Igitur prima questio in præsentia est, vtrum gratia primæ sanctificationis infantum futura esset maior in statu innocentia, si duraret, quam postea fuerit: vti que in intensione, & gradibus qualitatis gratiæ. Nam sub alijs respectibus potest gratia naturæ lapsæ dici maior, quatenus includit remissionem culpæ, & fit ex subiecto magis indigno, & auerſo à Deo. E. contrario verò gratia innocentia excederet: tum in eo, quod donum iustitiæ originalis haberet concomitans: tum etiam, quia haberet donum innocentia adiunctum, de quo generalis controuersia est, an sit maior

1. Suppositio triplicis comparationis in sanctificatione vtriusque status.
2. Suppositio de futura incarnatione ad Adæ non peccatorem.

Pro 1. comparatione notatio

3. Comparatio ad infantem vtriusque status reduta expediri